DISSERTATIO
Medico-Physiologica,
DE
REGIA MENTIS IN CORPORIS SUI MACHINA SEDE,

Quam
Divinâ favente gratiâ
In Inclytâ Academiâ Hasso-Schaumburgica

PRÆSIDE
JOHANNE GERHARDO
Wincher /
Medicinæ Doctore, Ejusdemque & Physices Professore ordinario, Facultatis Medicæ p. t. DECANO,
Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit.
WILHELM TEUTO
Lunæburgo-Nienburgensis,
A. & R.

IN AUDITORIO MAJORI
Ad diem 20. Octobris, h. s.

RINTHELII, Literis God. Casp. Wächters / A.T. An. 1682.

SERENISSIMO, CLEMENTISSIMO PRINCIPI, AC

DOMINO,

DN. ERNESTO

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Principi Hennebergiæ, Comiti in Marcka & Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein &c. &c. &c.

NEC NON

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO,

DOMINO,

DN. GEORGIO FRIDERICO,

Comiti de Waldeck, Pyrmont & Culenburg, Libero Baroni in Palant, Wittemwerth, Ordinis Johannitici Seniori, Commendatori in Lagaw, ac Tracteti ad Mosam apud Fidederatos Belgas Gubernatori &c. &c.

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.

Dissertationem hanc, velut monumentum & pignus obsequii, ac sui, suorumque studiorum recommendationem demississime offert, dicat, dedicat.

Obsequentissimus & subjectissimus

WILHELMUS TEUTO.

Præloquium.

N*Vllius ferè Quæstionis decisio nunquam non magis anxios atque solicitos habuit Medicos pariter & Philosophos, quàm illius, quæ est de* Regia mentis in corporis sui machina Sede, *quod tot acres Eorum hac super re nos docent controversiæ, quas pro inexplicabilibus habuisse videtur Seneca. Nat. Quæst. 7. cap. 24. sic disserens:* Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, fatebuntur omnes: quid tamen sit animus ille Rector Dominusque nostri, non magis tibi quispiam expediet, quam UBI sit? *Et paulò pôst:* Adeò non potest animo liquere de cæteris rebus, ut adhuc ipse se quærat. *Cum tamen nihil menti magis notum atquè certum, nihil magis proprium, nihil magis domesticum sit, ac ipsamet sibi, quippe quæ expressissimos essentiæ suæ & attributorum characteres per cogitationem in se reflexam in singula intueri potest & legere momenta. Quod tamen*

non mirabimur, si attendamus, humanæ mentis propter arctissimam sui cum corpore conjunctionem & quasi permixtionem, adeò deplorandam esse conditionem, ut à prima ætate ad illas confusas atque obscuras rerum materialium extra se à corpore per sensus (infidos illos ministros & deceptores) sibi oblatas ideas nimis attenta, in consideratione sui ipsius aliorumque objectorum immaterialium, quæ non nisi puro attinguntur intellectu, aut mirum in modum languescat, aut capitalibus onerata & occæcata præjudiciis in naturæ suæ penetralia descendens, nunquam, nisi singularis accesserit cultura, rectum de se judicium ferre queat: Quandoquidem mentem ab infantia ita peregrinatam, tandem sibi ipsi extraneam & hospitem fieri necesse erat. Hinc illæ lachrymæ. Hinc tot acres & nunquam conciliabiles Autorum discordiæ. Hinc adeò parum in mentis cognitione tam necessaria per tot retrò secula profectum est. Vnde fateri quidem cogor, me negotium arduum & difficultatibus plenum aggredi, interim tamen de prospero successu non desperabo, sed per Dei gratiam me eluctaturum & clarè Regium MENTIS solium inspecturum confido, quando in limine Adytorum ejus omnia præjudi-

ciorum vela deposuero. Tu verò B. L. quæ de ardua hac materia rudi Minerva hâc vice propositurus sum, æqui bonique consule; Siquidem in magnis tantùm voluisse sat est.

I.

NOn incongruè insignis ille per ignem Philosophus & Adeptorum Princeps Helmontius *tractat. Venat. Scient. n.* 36. hominem definit. *Creaturam viventem in corpore*, & n. 64. *Spiritum concretum*, à potiori parte desumens denominationem & à famosiori significato essentialem determinationem. Etenim Sapientissimus Plastes in primitiva rerum creatione, duo simplicia illa rerum genera, à se sexto die producta, *mentem* volo & *corpus humanum* seorsim existere noluit, sed ex iis, licèt plus quàm realiter distinctis, arctissimo fœdere junctis tertium genus compositum, *Hominem* dico, magnum illud in natura miraculum, per libertimam suam & infinitam potentiam prodire jussit.

I I.

Quæ veritas toties mihi clarissimè innotescit, quoties mentis aciem in me converto, & cogitatione meditabundâ naturam meam perlustro: ex quo mentem meam statim tàm clara existentiæ sui ipsius idea vel tacitè subit, ut nullius rei certiorem ac distinctio-

rem conſcientiam habere tunc queam, quàm me existere ſubſtantiam intelligentem, & omnis corporeæ molis expertem, h. e. mentem; quippe impoſſibile erit, me, quo momento mentales exerceo actus, meditor, intelligo, &c. non exiſtere mentem.

III.

Nec minùs claram corporis mei ideam inde acquiro: Dum enim hæc meditor, variis aliis me affici ideis experior; ideis diverſorum affectuum & ſenſuum, modò lætis cogitationibus paſcor, ſed vanis, mox enim præ triſtitia & animi dolore prorſus diffluo; dum hæc ſcribo, lego, diverſorum colorum & picturarum imagines ſeſe mihi repræſentant; nunc caloris, nunc frigoris, nunc aliorum motuum ideas penes me deprehendo, quas tamen omnes non à me ipſo, quatenus ſum mens proficiſci certô certiùs novi: Sæpe enim abeſſe illas, ſæpè rurſus adeſſe, exiſtentia mei ubique ſalvâ, percipio; omne voluntatis meæ imperium excutiunt, voluptas me volentem non titillat, nec dolor nolentem deſerit, melancholia invitum ſæpiſſimè excruciat. Ab aliis igitur objectis à mente diverſiſſimis mihi offerantur, oportet. Unde firmiter concludo, me non ſolam exiſtere mentem, ſed præter me alias res extenſas, omnem cogitandi actum excludentes, proindeque longè à me differentes, iſtarum Idearum cauſas.

IV.

Cumque inter ideas illas adventitias maximè notabilem deprehendam diverſitatem, in eo conſiſtentem, quòd aliæ objecta à me remota, à quibus

non

non nisi *mediatè* me affici intelligo; aliæ verò objectum mihi valdè propinquum & intimè præsens offerant, quod inter & mentem meam actionis & passionis relationem intercedere mihi conscius sum, manifestè colligo, præter illas res extensas in genere, quandam specialem, mihique magis familiarem & arctissimo cognationis fœdere junctam existere, quam proinde corpus meum appello. Unde tria hominis essentiam constituere cognosco: *Mentem* videlicet, *Corpus organicum* & *utriusque unionem*; quorum naturam paulò penitiùs pro negotii præsentis exigentia, mihi expendendam esse judico.

V.

Mentis essentiam in actuali cogitatione consistere, inde mihi persuasum habeo, quòd omnes mentis functiones cum actuali cogitatione converti, eamque necessariò involvere percipiam: Mens enim sive intelligat, imaginetur, reminiscatur, &c. *cogitat*, sive judicet, affirmet, neget, velit, nolit, numeret, dubitet &c. *cogitat*; Non vice versâ. Hinc cogitationem actualem essentiale & radicale mentis attributum, omniumque functionum ejus principium & fundamentum esse conficitur, quo posito, poni, & sublato, tolli ipsam mentis naturam necesse est. Cogitationem actualem dico, non *particularem* & *objectivè* sumtam, qua sine mentis natura quandoque salva est, & manet, sed *in genere* & *subjectivè* acceptam, quæ à mente salva ipsius existentiâ, divelli nunquam potest.

VI.

A qua veritate me non dimovebit opinio illo-

rum, qui in cogitandi potentia mentis naturam ponunt, eamque cum Philoſopho gentili *per actum primum corporis naturalis potentiâ vitam habentis* definiunt; *per actum primum intelligentes* vim ſeu facultatem omnes vitæ actiones obeundi: miſſâ enim hîc vocis ἐντελέχεια, quæ in originali textu habetur, obſcuritate, de qua vid. Sennert. natur. Scient. libr. 1. Cap. 9. miſſô etiam hôc, quòd plurimas functiones vitales in homine ab anima accerſére non opus habeamus; dico ſaltem illos, qui nudam cogitandi potentiam mentis naturam abſolvere putant, eo momento, quo omnem actualem cogitationem à mente præſcindunt, nihil planè concipere, aut confuſum ſaltem ſubſtantiæ in genere conceptum ſibi formare, ſicque mentis naturam & exiſtentiam prorſus evertere, utpote quæ absque omni cogitandi actu vel ullo momento clarê diſtinctèque concipi nequit. Accedit, quòd eo momento, quo omni actuali cogitatione mentem privant, nihil in ea relinquant poſitivi & abſoluti: potentia enim cogitandi, ſeu τὸ poſſe cogitare, cùm ſuſpenſionem actionis & relationem ad agendum notet, negativum tantùm quid eſt & relativum, poſitivum requirens fundamentum, cujus, ſublato omni cogitationis actu, in mente clarum diſtinctumque conceptum amplius habere non poſſunt. Sed hæc latiùs deducta vide apud Claubergium de cognitione Dei & Noſtri exercit. 53, & celeberrimum Burmannum in doctiſſima de peccato infantum actuali in utero diſſertatione.

VII.

Contra noſtram de mentis eſſentia ſententiam ſtatuit

ſtatuit etiam Hobbes, qui in ſe ipſo expertus, caput à cogitationibus profundis, & ſeriis ſtudiis incaleſcere, cerebri ſpirituumque animalium particulas concuti, totumque corpus defatigari, in hanc heterodoxam incidit opinionem, cogitationem nihil eſſe præter motum corporeum, ſeu unarum particularum materiæ in alias reactionem, aut ſaltem hujus reactionis debitam continuationem, & ex motus particularum diverſitate illam cogitationum varietatem oriri: ſicque omnem cogitationem monſtroſum ſolius materiæ & motus phænomenon facit. Quæ opinio, ut fateor, facilè aſſertam mentis eſſentiam everteret, ſi præter extenſam nulla immaterialis ad hominem conſtituendum concurreret ſubſtantia, quæ Hobbeſii eſt hypotheſis: Verùm enim verò, quia hujus ſuppoſiti abſurditas ex eo patet, quòd 1. notitia exiſtentiæ noſtri, quatenus ſumus mens, nobis prior, certior & evidentior ſit, quàm corporis nobis conjuncti. 2. Cogitationem ſine extenſione, mentem noſtram ſeorſim à corpore exiſtere poſſe, proindeque illam eſſe actum à materia & motu toto cœlo differentem, clarè diſtinctèque cognoſcamus. 3. Omnia illa ſuprà notata meditationem intenſiorem comitantia phænomena, videlicet incaleſcentia capitis, defatigatio aliique corporis motus, quorum ideam mens ex arctiſſimæ ſui cum corpore unionis lege habet, ad mentis naturam neutiquam pertineant; Confer ſuprà theſin 3. argumentationis Hobbeſianæ fumus ſponte evaneſcit.

VIII.

Quia verò cogitationes mentis humanæ in hoc dif-

differunt, quod aliæ sint Ideæ in mente receptæ & ab ideato extrinseco quasi depictæ & repræsentatæ, quas vi unionis illa necessariò intuetur & cognoscit, adeoque actus mentis imperati; aliæ verò proximè à mente ceu causa emanent, sintque actus liberi, eliciti & imperantes; duas in mente facultates principes, seu cogitandi modos generales, ad quos omnes functiones ejus particulares referri possunt, cum Philosopho Christiano *pr. part.* 1. *art.* 32. notare hîc juvabit, *perceptionem* sc *intellectus* & *determinationem voluntatis*; Illam ob rationem antè datam mentis passionem, Hanc verò actionem vocamus; unde Illa satis accommodatè à Clarissimo de la Forge, porta, quâ variis objectorum externorum Ideis in mentem patet introitus; Hæc verò eadem porta dicitur, quâ diversis actibus liberrimis ex illa datur exitus. Hæc de mente.

IX.

Corporis humani naturam in hoc consistere assero, quòd sit machina ex multis organis constructa. Sicut enim omnia quæ ad mentem pertinent cogitationem, cogitationisque illius varias modificationes esse cognovi, ita corporis humani conceptum nihil nisi extensionem, variasque extensionis illius modificationes ingredi, id accuratè inspiciens deprehendo: Quicquid enim in illo offendo, sunt partes numerô ferè indefinitæ, duræ, molles, solidæ, fluidæ, totidem organa quoad magnitudinem, figuram, posituram & connexionem tam conformiter disposita, & ad functiones seu motus edendos tam dispositè conforma-

ta, ut hanc fabrerrimam corporis humani organiſationem attentiùs conſiderans, dubitare ampliùs non audeam, illud tale eſſe automaton manibus Dei Creatoris mirabiliter fabrefactum, quale nobis Dn. des Cartes & de la Forge *in Tract. de homine* depinxerunt graphicè.

X.

Præprimis, quia multifarias illas corporis functiones non ab alio, quàm mechanico principio, legitima viz. connexorum organorum conformatione ſuſpendi, quibus producendis ſingula ſeorſim non ſufficerent, notiſſimum eſt: Sibi ipſi enim ignotus & hoſpes ſit, oportet, qui non perſpiciat, ſemper unius partis motum ab alterius connexæ motu, v. c. oſſium motum à muſculorum, horum à nervorum ſpirituum animalium & cerebri, horum à ſanguinis, hujus à cordis, cordis verò viciſſim à ſanguinis in corde efferveſcentis motu, & ſic porrò dependere. Quinimò, cùm ſanguinis, per arterias & venas motum circularem, ſpirituumque animalium per nervos impetum, indeque varios illos membrorum impulſus ita ſeriò expendo, corpus humanum in ſpecie machinam *hydraulico pneumaticam*, quæ functiones ſuas partim à ſanguinis flumine, partim à ſpirituum flatu impulſa edat, cum D. Schwelingio Jurium & Phyſ. Profeſſ. in Illuſtri Bremenſium Gymnaſio celeberr. *diſſert. de admiranda hominis microcoſmi fabrica* pronuntiare nullus dubito, nullamque inter hanc naturalem & analogam aliam arte factam machinam eſſe differentiam, quàm quòd hujus operationes peragantur inſtru-

mentis adeò magnis, ut ſenſu facilè percipi queant; illius verò effectus ferè ſemper dependeant ab aliquibus organis adeò minutis, ut omnem ſenſus aciem effugiant, ex Nob. Philoſophi Pr. Phil. P. 4. art. 203. mihi perſuaſum habeo.

X I.

Prout verò in mente duas cogitationum ſpecies, activas & paſſivas, theſ. 8. deprehendimus, ita etiam in corpore humano varii illi ad infrà explicandam unionem hîc notandi veniunt motus. Siquidem non quodvis corpus mentis aptum domicilium eſſe poteſt, non otioſum & iners, ſed cujus partes variis inter ſe motibus cientur, ſeu vivum. Ubi tamen hoc obiter moneo, ne putemus mentem eſſe cauſam harum in corpore functionum primam; Illa, enim, ſi motum ut modum merè corporeum, nec *formaliter*, nec *virtualiter* vel *eminenter* poſſidet, ſed tantùm determinando ſpirituum animalium fluxum modo theſ. 14. explicando, corpus ſuum regit, grande eſſet præjudicium, putare animam eſſe cauſam phyſicam omnis motus vitæve corporis ſui.

X I I.

Ad quod præjudicium præcavendum, differentiam inter mentem & corpus, ac utriusque accidentia ſeu modos probè hîc notari velim. Si enim cogitatio, quæ illius eſſentiam conſtituit, omnem excludit extenſionem, & extenſio, quæ hujus abſolvit naturam viciſſim omnem reſpuit cogitationem, manifeſtum eſt, mentem à corpore, nec non utriusque attributa & modos à ſe invicem, toto cœlo differre, nec quicquam præter ſolum exiſtere commune habere.

XIII.

XIII.

Hæ ergò ſunt partes hominis, mens & corpus organicum. Verùm enim verò quia hæ partes non niſi unitæ hominem conſtituunt, hîc loci etiam de earum unione pauca prælibare expediet. Quantumvis autem mens & corpus non niſi in ſolo generaliſſimo entis conceptu conveniant, ideoque nec modum unionis duorum corporum, nec duarum mentium, nec alium ſimilem admittant, dari tamen in illis arctiſſimæ conjunctionis fundamentum deprehendo, quando ſuprà notatos duos generales cogitandi modos, perceptiones videlicet intellectus, ſeu mentis paſſiones, & determinationes voluntatis ſeu ejus actiones; Similiter varios in corporis machina obſervatos motus, quos pro diverſa ad mentem ſcheſi, illius vel actiones vel paſſiones rectè inſigniri mox patebit, in memoriam hîc mihi revoco. Unde rationem unionis illius formalem in mutuo actionum & paſſionum mentem inter & ſuum corpus commercio ſive dependentia à ſe invicem poſitam eſſe judico: Facta igitur eſt unio illa ſecundùm actiones & paſſiones mutuas, ita, ut vi liberrimæ voluntatis divinæ certi corporis motus comitentur certa mentis imperia, & viciſſim certæ mentis perceptiones à certis corporis ſui motibus occaſionaliter excitentur. Agit enim mens in corpus ſuum, definitos motus ei imperando, & viciſſim hoc in illam, motuum ideas repræſentando, ſicque percipiendi occaſionem illi offerendo: patitur contrà corpus à mente, motus ab ea imperatos reci-

piendo & exsequendo: patitur vicissim hæc ab illo, occasionem recipiendo illis motuum corporis ideis convenienter sed confusè percipiendi.

X I V.

Quæ evidentiora nobis evadent, si ex thes. XI. recolamus, mentem spirituum animalium fluxum non producendo, sed tantùm versus certas partes determinando, corpus suum regere: Quippe spiritus ex primo movente seu communi sensorio scaturientes & in motu jam constitutos per solam illius inclinationem pro arbitrio suo dirigit, haud secus ac aquæ ex tubo erumpentis fluxus variâ tubi inclinatione ad diversas mundi determinatur plagas: Prout eques equi cursum non producit, sed tantùm dirigit, sic mentem motuum corporis causam non physicam, sed moralem saltem esse concipiendum est; Vid. Mart. Sylvani Phys. Spec. 1. part. post. cap. 5. n. 78. Cave tamen putes, si non motus, saltem determinationis motus naturalem causam esse mentem, sicut corpus obvium determinationis pilæ causa physica dicitur. Siquidem nulla juxta thes. 12. inter mentem & corpus attributorum & modorum, nisi solius existentiæ, datur communio, nullus hîc contactus physicus, secundùm vulgare: *Tangere vel tangi nisi corpus, nulla potest res.* Unde quoque notanter scripsi, corpus motibus suis *occasionem* percipiendi tantùm offerre menti, ne quis in hunc incidat errorem, motus illos perceptionum causam efficientem esse, cùm saltem velut signa mentem certarum cogitationum ex instituto liberrimo voluntatis divinæ admoneant.

X V.

XV.

Quæris verò, quæ ergò sit determinationis illius ratio? & præstare hîc suam doctè profiteri ignorantiam, quàm vano in Dei arcana provolare ausu: Abyssus sapientiæ & potentiæ Dei hîc est, in quam cum periculo ineluctabili se demittere, inexpiabilis esset temeritas. Eâ tamen propter ipsa non neganda est unio, quippe res ipsa sæpè patet, cùm modus rei nos profundè latet. Sic ego homo opus Dei sum, scio opus illud esse, & modum tamen, quo Is me hominem fecerit, me cum corpore hoc colligaverit, ut & in illud agam, & ab illo patiar, eo modo, quo id jam paulò suprà declaratum est, non intelligo, sed tantùm intelligo, me illum intelligere nunquam posse. Ineptissimus igitur essem, si quia modus hujus unionis mihi ignotus est, ipsam unionem inficiari vellem, similiter facerem, ac si quis negaret ferrum ad magnetem accedere, quia modum nescit quo accedit, ut scitè disserit Celeberr. Geuling. in Γνῶθι Σεαυτὸν *Tract.* 1. *Sect.* 2. §. 2. *n.* 29. Et inde est, quòd quisque Philosophorum acutissimorum unionis illius modum tantùm admirabilem & ineffabilem esse, nullamque rem in tota rerum serie infinitam Dei Creatoris sapientiam, potentiam & libertatem clariùs demonstrare fateantur, ac ipsam hanc mentis & corporis unionem. Vid. præter modò citat. Autor. de la Forge *Tract. de mente humana cap,* 13.

XVI.

Hæc de mente, corpore ac utriusque unione præcognita ad Regium mentis solium facem nobis

præferunt, ſimulque præjudiciorum avia quædam in via declinanda præmonſtrant. Quorum primum eſt illud vulgi opinantis mentem in corpore velut in vero loco vel ubi eſſe: Cujus præjudicii originem hanc eſſe exiſtimo, quòd in ſpiritus v, c. mentis conſideratione ad cogitationem non attendendo, perverſam flatus, vel aëris, vel tenuiſſimi halitus ideam ſibi forment: Hinc in ſupremo mortis articulo quodam verſante, feneſtrarum valvas, ridiculo ſanè ſpectaculo, curioſè aperiri obſerves, ne fortè animula è cadavere cedens, ab exitu ultra modum impediatur, aut in vitreum orbem impetum faciendo, feneſtram perrumpat. Quinimò vulgus hominum animæ tribuens verum ubi, ex ſubſtantia cogitante extenſam, aut ſaltem monſtroſam rerum maximè differentium facit confuſionem: Locus enim, ſi pro *interno* & *ſpatio* ſumatur, cùm nihil aliud dicat quàm extenſionem in longum, latum & profundum, ipſiſſimum eſt corpus; ſin verò pro *externo*, qui certam duntaxat corporis unius inter alia magnitudinem, figuram & ſitum deſignat, modum ſoli corpori competentem cum cogitatione abſurdè confundit. Hinc colligo, illud axioma: *Omne quod eſt, alicubi eſt*, ad ſolas res extenſas reſtringendum eſſe. Regerat verò quiſpiam, an ergò mens nullibi ſit? ℞. cum Cl. Glauberg. ſi nullibi eſſe opponatur *ſpatio*, & certam longitudinem, latitudinem & profunditatem in ordine ad alia corpora non habere notet, mentem nullibi eſſe; Sin verò opponatur *exiſtentiæ*, & dicat planè non eſſe, ex vulgi opinione, eam alicubi eſſe, dicendum.

XVII.

XVII.

Secundum præjudicium est Scholasticorum, qui studio omnium rerum naturalem indagandi præsentiam, triplicem adessendi modum excogitarunt, 1. *repletivum*, quem soli Deo, quia omnia in omnibus essentiâ suâ replet, vindicant; 2. *circumscriptivum*, quem solis rebus extensis, limitibus essentiæ suæ inclusis, tribuunt. Cumque neutrum horum ad mentem creatam quadrare viderent, 3. *definitivum* commenti sunt angelis & animæ rationali dicatum, quô res dicitur *esse tota in toto spatio, ut tota etiam sit in qualibet spatii parte*: Itaque totum corpus animæ sedem constituunt sic, ut illa tota sit in toto corpore, & tota etiam in qualibet corporis parte: Quâ loquendi formulâ hoc exprimere intendunt, animam esse alicubi v. c. in toto corpore, non per formalem extensionem, non secundùm partes; Et hoc modo verum mentis thronum invenisse sibi videntur. Verùm enim verò, ut taceam nunc, phrasi istâ nihil explicari, quippe quæ negativè tantùm animæ præsentiam exprimit, dicendo, quomodo non sit præsens corpori; dico saltem, illâ obscurum magis obscurari: Quis enim ideam totius de mente, substantiâ immateriali, inextensâ, indivisibili &c. sibi formare poterit unquam, exclusâ ideâ partium & omnis extensionis. Et quis, quæso, præsentiæ modus angelis competebat, cùm nullum adhuc spatium existeret? Illos enim ante uisibilis mundi productionem à Deo creatos esse, rectè colligunt saniores Theologi ex Gen. c. 1. & Job. c. 38. v. 7. Et positô, Deum per suam omnipotentiam, omnia spatia rursus

anni-

annihilare, ubi quæso, & quo modô tunc mens præsens foret? Clarè enim distinctèque ex suprà dictis percipimus, mentem nostram existere absque ullo spatio posse. Dicis fortè in spatiis imaginariis *definitivè* tunc præsens erit: Sed crede mihi, sublatô omni spatiô, nec spatia, quæ dicis imaginaria, ampliùs futura, imò solutô tandem mentis & corporis tui vinculô, omnia spatia imaginaria cerebro tuo jam præsentia peritura esse, realibus saltem superfuturis. Hujus igitur præjudicii fons est, quod distinctissimarum idearum faciant confusionem coëxistentiæ & operationis videl. ac coëxtensionis, mentisque essentiam per totum corpus, etsi non formaliter, saltem virtualiter diffusam concipiant, contra assertam th. 12. mentis à corpore differentiam.

XVIII.

Sed objici hîc mihi video 1. menti sedem adæquatam assignari non posse, si præsentia definitiva illi à Scholasticis attributa negetur. 2. Mentem functionibus suis totum corpus informare; quod omnium membrorum animatum vigorem, viresque non nisi ab anima derivatas demonstrare ajunt, in omnibus corporis partibus diversa obire munia; sublatâ verô illâ, omnes operationes ipsamque vitam è vestigio cessare. Ad quas instantias respondeo, & quidem ad 1. manifestam in ea supponi coëxtensionem mentis ad corpus; nec tam ridiculum fore illum, qui quantitatem lactis, alteriusve liquoris ad mensuram ulnæ explorare institueret, quàm qui mentem corpori adæquare intenderet, cum Corn. ab Hogelande

Ex

Exercit. miscell. de conjunct. ment. & corporis, n. 36, affirmare non erubesco. Ad 2. dico grande esse præjudicium, suprà thes. 11. & 14. jam notatum, putare mentem esse omnium in corpore functionum vigorisque causam: Ecquis enim sibi persuadeat, illas ab anima dependere operationes, quarum ipsa sibi nunquam est conscia, quæque ipsius arbitrio neque stant, neque cadunt. Unde has duas tibi ex Cl. Geuling. suprà cit. Tr. ad averruncandum hunc errorem commendo regulas: 1. *Quod nescis, quo modo fiat, id ne te facere dicas.* 2. *Quod alterius arbitrio definitum est, in id nihil tibi juris esse scias.* Nec juvat instantia illa, quòd mente sublatâ motus vigorque omnis in corpore cesset: Æquè magnum enim fovet errorem, cujus fontem Magnus ille des Cartes *de pass. animæ, part. 1. art. 5.* his egregiè detexit verbis: Is verò sc. error, in eo consistit, quòd cùm omnia cadavera motus ac proinde caloris conspiciantur expertia, creditum sit, absentiam animæ esse causam cessationis illius motus & caloris. Et sic immeritò persuasere sibi homines nostrum calorem naturalem, & omnes motus nostrorum corporum, pendere ab anima; cùm è contrario cogitandum potiùs fuisset, animam, cùm morimur, non discedere, nisi quia ille calor cessat, & organa, quæ inserviunt motibus corporis, corrumpuntur. Mortem enim corporis à sola aliqua partis principis divisione, aut figuræ mutatione pendere, probat idem Philosophus in Resp. ad sec. Obj. n. 7.

XIX.

Alius ergò præsentiæ mentis in corpore nobis

inveniendus, & ex ipsa illius essentia eruendus est modus; qualis enim rerum est essentia, talis & præsentia: Siquidem per essentiam & existentiam unumquodque præsens esse dicitur. Mentis autem essentia & existentia, ut antè probatum, est cogitatio, ergò etiam per cogitationem corpori suo præsens erit. Nec diversus ab hoc rebus immaterialibus in genere præsentiæ modus attribui potest, utpote quarum *esse* in eo consistit, quòd sint *actus*, ita ut nunquam *in potentia* esse concipi possint, per rationes th. 6. datas, proindeque dicuntur ibi esse, ubi efficaciter operantur; Cùm extra operationem, nullam aliam relationem ad spatium aut corpus habere queant: Quæ propterea rerum cogitantium in ordine ad locum præsentia denominatio extrinseca tantùm est, orta ex earum operatione in certo ubi: Sic DEUS, cùm sit actus purissimus, independens & perfectissimus, efficacissimâ in rebus omnibus operatione ubique vel omnipræsens esse intelligitur, vid. Burman. *Oecón. Fœd. D. Tom.* 1. *Lib.* 1. *c.* 26. §. 11. 12. Sic quoque Angelus in castris Regis Assyriorum 2. Reg. c. 19, per operationem præsens fuisse concipitur. Sic igitur & mens nostra corpori suo non nisi per operationem, cogitationem puta, præsens esse poterit. Cùm verò illa in statu conjunctionis præprimis, sit actus valde impurus, & à corpore suo magnam partem in operando dependens, quippe cujus cogitationes partim actiones, partim verò passiones sunt, vid. th. 8. manifestum est, illam corpori non secus, quàm per *actionem* & *passionem*

præ-

præsentem esse posse, modo suprà th. 13. explicato, qui nullam extensionem vel actualem vel virtualem involvit.

X X.

Tametsi verò non negem, animam mediatè quidem & in genere hoc modò reverâ præsentem seu unitam esse toti corpori, quia id ratione conformationis suæ organicæ unum est & quodammodo indivisibile, affirmare tamen cogor, illam non omnibus machinæ humanæ partibus æqualiter præsentem, sed uni alicui ejus organo magis arctè & immediatè, junctam esse, in quo suas functiones specialiùs, motuum sc. corporis super eo delineatas ideas percipiendi & mediante illo in reliqua machinæ organa proximè agendo, exercere intelligitur, quod idcircò primum in corporis automato movens &, ultimum mobile esse suprà dixi: Atque huic mentem immediatè esse junctam meo judicio adeò clarum est, ut nullâ ulteriori demonstratione indigere videatur. Quæstio igitur de sede mentis huc propriè redit: *Quodnam sit illud in corpore humano organon, in quod mens immediatè voluntatis suæ imperio agat, & à quo vicissim motuum corporis ideas proximè recipiendo patiatur?*

X X I.

Quod ut evidenter cognoscatur, notandum est, statuæ humanæ truncum in tres ab Anatomicis dividi regiones, in quarum unaquaque viscus aliquod princeps contineri docent: In caput nempè, in quo continetur cerebrum, pectus in quo cor, & abdomen in quo hepar; in quorum uno sedes mentis curulis

necessariò quærenda erit. Hepar verò, quia à Cl. Bartholino jam dudum honestè sepultum, & Epitaphio donatum, nec unquam in hujus actus scenam introductum fuisse memini, in quiete sua non turbo. Substituit autem ventriculum Helmontius, in cujus orificio sinistro individuum Animæ thronum locat, opportuno sanè hospitio, quô gulosi hominis animâ dignius toto in corpore divinare non potuisset: Quid enim? Haberet ibi statim sub alimentorum ingressum variarum deliciarum, cibi potusque delectum. Verùm, quia hanc opinionem Autoris, de re medicâ aliàs optimè meriti, animum per delirium à veneno napellino inductum subintrâsse ex *Tract.* quem inscripsit *Demens Idea, n.* 12. apparet, eam confutare operæ pretium non erit.

XXII.

Alii in corde animam suas operationes immediatè & primariò exercere cum Aristotele autumant, his præprimis inducti rationibus: Quòd 1. cor sit primum in corpore vivens & ultimum moriens 2. Animæ passiones in corde manifestè sentiantur. Verùm enim verò nec huic opinioni subscribere possum. Primario enim apertè falsa est; sanguini veriùs hoc tribuitur prædicatum, quòd sit primum vivens & ultimum moriens. Instas; in corde tamen primum & ultimum movendi conatum apparere: Error est, quippe cordis motus à sanguinis in eo effervescentis impetu demum pendet: Cor cavitatum ratione ollæ seu alembici, in quo fermentatio sanguinis peragitur, vicem tantummodò præstat. Sanguinis igitur

motus prior est cordis motu; punctum rubrum saliens in ovo ante cordis conformationem manifestò apparet. Unde sanguine à motu cessante, cor consequenter quoque quiescit. Nec secunda ratio firmo insistit talo, affectus enim, cùm nihil aliud sint, quàm cogitationes confusæ, quæ producuntur, conservantur & corroborantur per motum quendam spirituum, non possunt occupare animam, quin statim ingens sanguinis in corde effervescentis alteratio contingat, quæ proinde illorum partim effectus partim verò causa censeri debet: Et facilè est animadvertere alterationis illius perceptionem fieri tanquam in corde, operâ nervuli sextæ conjugationis è cerebro in ejus orificia distributi; prout dolor reverâ in manu non percipitur, quia quandoque sentiri potest tanquam in manu, quæ jam est ablata: Sic etiam astra operâ radiorum luminarium tanquam in cœlo à nobis videntur: Ita ut non magis necessarium sit, mentem esse in corde, ut ibi percipiat alterationem fermentationis sanguinis affectus comitantem, quàm eam esse in manu, ut ibi sentiat dolorem, vel in cœlo, ut ibi videat astra. Confer des Cartes *pr. p. 4. art. 196. & de pass. anim. p. 1. art. 33.*

XXIII.

Soli ergò cerebro hanc dignitatem reservamus, quòd sit Regia mentis in corpore sedes, nec tamen toti, sed tantùm intimæ partium ejus, in quam immediatè agit, & à qua vicissim proximè mens patitur, quam propterea primum in corporis automato movens & ultimum mobile suprà jam cognovimus. Est autem illa

glandula quædam parva, figuram à natura habens pini vel coniformem, indeque conarion vel pinealis glandula Anatomicis dicta.

X X I V.

Ut verò omnibus perspectum fiat soli glandulæ pineali hanc prærogativam jure deberi cerebri & nervorum structura mechanica, spirituumque animalium motus ex Anatomia paulò accuratiùs nobis hîc examinanda & delineanda erunt. Sciendum igitur 1. Cerebrum in se habere magnam cavitatem eamque, licèt unica sit, ratione situs angulorum, tamen in quatuor cavitates ab Anatomicis distingui, ventriculos dictos. 2. In medio cavitatum cerebri, nempe ante ductum illum oblongum, styliformem vocatum, per quem spiritus posterioris sive quarti, cum spiritibus trium anteriorum ventriculorum communionem habent, consistere famosam illam glandulam, duobus cruribus nerveis divaricatis [quæ funiculi Cl. Sylvio audiunt] suffultam & ita laxè alligatam, ut mobilis sit, & in quamcunque ventriculorum regionem, sursum deorsum, dextrorsum sinistrorsum, antrorsum retrorsum, à minimâ vi inclinari ac flecti possit. 3. Hanc Glandulam esse unicam & quamvis sensoria omnia ferè sint duplicia, ipsam tamen nunquam duplicem observatam fuisse 4 Notandum est ex ingeniosissimo Dn. Cartesii & Forgei invento, ipsam cerebri substantiam nihil aliud esse, quàm congeriem filamentorum teretium, perquam mollium, tenuium ac flexibilium, secundùm longitudinem combinatorum & contextorum, intra cranium contentam, & alterâ meningum, quæ pia mater est, immediatè cinctam.

tiam.

ctam. 5. Filamenta hæc cerebrum constituentia unâ extremitate in cerebri ventriculos sive interiorẽ superficiem terminari; alterâ verò extra cranium protensa in partes omnes tam propinquiores cerebro, quam remotiores ab eo, & in ipsam cutem usq; firmiter implantari, ibidemque in tenacissimas chordas compacta, nervorum nomen sortiri. 6. Observandum est, filamentorum istorum singula piâ matre (quæ in ipsas cerebri cavitates usque descendit) undique vestita, & quasi in vagina reposita à continuato spirituum animalium interfluxu disjuncta servari innumeraque proinde circa se habere intervalla oblonga, qualia inter musculi transversim dissecti, vel arundinis jndicæ fibras observare licet, in cerebri cavitates hiantia, quæ illius poros vel tubulos cum accuratioribus Anatomicis posthàc vocabimus. 7. Notandum, spiritus animales nihil nisi subtilissimas, & summè volatiles sanguinis arteriosi particulas nitrô aëreas esse, ex sinistro cordis thalamo rectà per arterias carotides & cervicales sursum elevatas, perq; minimas plexus choroidei glandulosi arteriolas, in vicinum conarion eructatas & ex eodem continenter versus cerebri & nervorum tubulos scaturientes. 8. Istos tubulos glandulam pinealem in medio ventriculorum cerebri suspensam è diametro respicere, istumque adspectum vel respectum pro vario glandulæ motu mutare, ut spirituum animalium ex ea jugiter vibratos radios non interruptos excipere & transmittere queant. 9. Denique notandum, cerebri ventriculos nervorumque tubulos, in statu præprimis vigiliæ, spiritibus animalibus turgidos & infla-

tos

tos, universumque corpus ita continuò irradiatum esse.

XXV.

Unde nunc colligo 1. glandulam pinealem esse unicum spirituum animalium fontem· 2. Eam esse omnium totius machinæ humanæ nervorum principium, non immediatum quidem, sed tamen mediatum, ita ut mediantibus spirituum animalium ad tubulos suos vibratis radiis illam contingant 3. Glandulâ quiescente, spirituum animalium ad omnes cerebri tubulos æqualem fluxum esse & determinationem; ad quamcunque autem levissimam ejus inclinationem, quosdam spirituum radios vehementiùs in certos cerebri & nervorum tubulos determinari ad certos organorum in corporis machina motus excitandos. Nec vicissim, 4. ullum nervorum filamentum in quacunque, extimâ licèt corporis regione, moveri vel trahi ab objecto externo posse, quin tractio ista eodem momento ad superficiem cavitatum cerebri protelctur, ibidemque tubulum unum aut plures aperiendo, spiritus animales solitô copiosiùs versus eos ex glandula prorumpere faciat, sicque eam simul trahendo vellicationis illius ideam super ista describat. 5. Omnes species sensibiles vel motuum à duplicibus sensoriis oblatas imagines duplices, nullibi nisi in solius conarii puncto quodam uniri posse, ut objecta non duplicia sed simplicia sentiantur. 6. Glandulam totius corporis humani centrum esse, non quidem ratione peripheriæ undique æqualiter distantis, seu æquidistantiæ omnium partium ab illa, sed poti-

us

potiùs delineationis & repræſentationis idearum materialium ab univerſo corpore oblatarum, itemque emanationis ſpirituum animalium, quos ex illa ad omnes corporis partes ſcaturire, clarè diſtinctèque percipio, haud ſecus ac radios ex circuli centro ad univerſam circumferentiam excurrere, atque in illud recurrere; ſicut etiam ex uno luminaris puncto numero indefinitos luminis radios in ſphæroidem diffundi, & in idem refundi, intelligo.

XXVI.

Quæ ut adhuc clariori lumine fulgeant, Glandulam pinealem ad inſtar ſpeculi ſphærici in conclavi ſuſpenſi, concipere mihi liceat, quod omnes in toto aulæo delineatas picturas, cunctaque objecta alia, præter ſe ſolum, clarè diſtinctèque nobis repræſentat; ita etiam illam omnium objectorum extra ſe ideas, ſui ipſius ſolùm exceptâ, in ſe recipere, rem ſeriò expendens, deprehendo. Quod apprimè illud Tob. AndreæMed. D. & in Franequerana Prof. hodiè Celeberr. experimentum, quod aliquando legiſſe me memini, confirmare video, quô hominem omnia corporis ſui membra, tanquam in ſpeculo, & nonnihil à ſe remota, v. c. manus, hepar, cerebri ventriculos &c. clarè diſtincteque imaginari poſſe didicit, ſolâ exceptâ glandulâ pineali, quam in naturali ſitu, & inſtar objecti alicujus à ſe quodam modo remoti, ſive clarè diſtinctèque imaginari non poſſe expertus eſt; cujus experimenti veritatem, ſi modò à præjudiciis vacui ſimus, penes nos ipſos deprehendere poſſumus. Unde concluſit, glandulam pinealem eſſe ultimum termi-

num functionum animæ per corpus, nec malè; ficut enim nemo proprios intueri poteſt oculos, nemo in ſpeculo unquam ejusdem ſpeculi obſervavit imaginem, proindeque oculus ultimus terminus viſionis eſt, & ſpeculum repræſentationis, ita etiam Conarion functionum animalium ultimum & primum eſſe, ſtatuendum.

XXVII.

Ex quibus jam poſitis fundamentis, & mihi nunc fixè concludere licet, glandulam pinealem eſſe primum illud in corporis humani machinâ movens & ultimum mobile, communeque ſenſorium, cui mens per immediatas actiones & paſſiones eſt unita, ideoque individuam & propriam mentis ſedem, ex qua veluti Regina edicta promulgat, munia inter ſubditas partes diſtribuit, quid in corporis ſui regionibus benè vel malè agatur, recognoſcit, ſicque per miniſtros ſuos, animales ſpiritus, totum regnum ſibi concreditum adminiſtrat atque regit.

XXVIII.

Antè verò quàm hinc diſcedam, objectionum quarundam in hanc veritatem hactenus vibrata ſpicula mihi declinanda video: Quorum verò illa tantùm, quæ ſententiæ meæ jugulum proximè petere videntur, excipere & obtundere conabor: Suntque ex Clariſſimorum & fide dignorum Anatomicorum obſervationibus deprompta, & *primum* quidem ex obſervatione Cl. Sylvii, qui aliquoties in glandula arenulas aliquot, quin etiam aliquando lapillum piſi quartam partem æquantem & ſubrotundum invenit, & aliâ

vice

vice tres calculos; & Florent. Schuyl, qui calculum plusquàm dimidiam Conarii partem occupantem inve-nit. Unde Clariss. Bartholinus Anat. Reform. lib. 3, c. 6. infert, illam excrementorum esse receptaculum, proindeque nobile hoc munus ipsi immeritò tribui. *Secundum* verò ex Stenonis & Denys observationibus desumptum est, quorum Ille in monstro ad quartum usque diem vivente Conarion planè defuisse notavit; Hic verò in dissecto infantis laborioso partu extincti capite nec cranium, nec cerebrum, multô minùs Glandulam observare potuit, nisi quòd crudam indigestamque molem in occipite invenerit. Et hanc rem grave vulnus Cartesiano dogmati inflixisse, Stenoni videtur; nec immeritò, si enim homo absque conario per longum tempus vivere potest, illud tam necessarium in corporis machina organon non erit. At verò, quamvis horum Autorum fidem in dubium vocare nefas sit, tamen hæc tela, feliciter & securè declinabimus; & *primum* quidem, si cogitemus, Conarion, arenulis & lapillis licèt refertum, quin etiam totum in tophum induratum fuerit, nihilominùs officio suo defungi posse, quamdiu 1. pori ejus ad spirituum transitum sufflaminandum non occluduntur: Facilè enim concipimus, particulas lapidescentes à spiritibus permeantibus ita disponi posse, ut meatus interea non interrumpantur, sed integri maneant. 2. Ipsa Glandula mobilis manet, utpote quæ non statim, quamvis indurata, ut Bartholino videtur, immobilis fit, nisi funiculi, quibus alligatur, simul obrigescant; & hoc si contingat, lethalem protinus ob-

oriri catalepsin suspicor. Quin imò 3. ratio dubitandi subest, an isti lapilli ante obitum in glandula fuerint? Cùm probabile sit, eos in moribundorum & agonisantium, quando humores omnes in corpore maximè heterogeneam concipiunt fermentationem, conariis generatos fuisse. Sic fulminarem lapidem brevissimâ morâ concrescere docent physici, & ligna quibusdam fontibus immersa brevi in tophos indurescunt; sic etiam parvum draconem aliosque vermes brevissimo tempore in humano corpore genitos esse & adolevisse notavit *Diemerbroeck Tract. de Peste lib. 4 hist 52. & 70.* Quidnî ergò Conarion in supremo vitæ articulo, si succo quodam austero id perfundi contingat, lapidescere quoque posset? *Secundum* quoque telum avertemus, & vulnus, quod eo sententiæ nostræ inflictum videtur, facilè sanabimus, si attendamus, in monstrosorum illorum infantum craniis latuisse sine dubio partem quandam Glandulæ vicariam, spiritus animales, quantum ad obscurum motum sufficiebat, determinantem, prout aliorum organorum internorum defectus analogo nonnunquam supplentur; quale quid in Matthia Ortelio, qui hepate caruit, observatum fuisse conjicio. Qui plura de his scire avet, consulat *Dn. D. Waldschmidii Archiatri Hassiaci, & Med. in Acad. Marburg. Profess. Primarii Celebratissimi de glandulæ pinealis statu naturali & præternaturali disputationem lectu dignissimam, & de la Forge ad Tract. Dn. Cartesii de homine art. 63 not. a.*

XXIX.

Possem nunc conclusionis loco præcedentem

theo

theoriam ad praxin applicare, demonſtrando, quàm fertilis ea ſit, in ingenii ac judicii tarditatis vel acuminis, fatuitatis, vertiginis, incubi, epilepſiæ, apoplexiæ catalepſios, melancholiæ, maniæ, ebrietatis aliorumque ſtupendorum phænoménων αἰτιολογία explicanda, quæ per ſuperiora ſecula in Democriti puteo tam altè ſepulta latuit, ut vix ſtilla veræ & ſolidæ ſcientiæ in vaſtiſſimum Medicinæ campum inde promanâſſe videatur. Sed quia horum affectuum conſideratio peculiarem meretur tractationem, quam inſtituti mei ratio jam non fert, eam opportuniori occaſioni deſtinare, & calami fluxum heîc cohibere cogor. Interim Deo. O. M. devotiſſimas pro gratia ſua hactenus mihi conceſſa ex toto animo ago gratias, & ſic huic diſſertationi impono

FINEM.

Corollaria.

I.

Cogitatio eſt ſubſtantia immaterialis, naturâ ſuâ incorruptibilis & immortalis.

II.

Anima rationalis non eſt forma hominis, ſed hujus cum corpore Unio.

III.

III.

Qui febres, imprimis quartanam, & omnes morbos ab acido, purgantibus percurare conantur, oleum & operam perdunt.

IV.

Quandoquidem nullum in tota materia Medica datur pharmacum expurgans acidum.

V.

In febribus pestilentialibus, aliisque malignis V. S. & purgatio plus nocent, quàm prosunt.

VI.

Omnis veneni natura consistit aut in aciditate sanguinem in corde inter effervescendum coagulante, aut in acrimonia salina ejusdem fibras balsamicas incidente & in ichorem fundente.

VII.

Hæc verò aciditas & acrimonia consistunt in certa particularum veneni magnitudine, figurâ, situ & motu.

VIII.

Omnes ergò morbi maligni sunt referendi inter morbos solutæ unitatis.